



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Concio Prima. Textus Evang. Exprobravit incredulitatem eorum. Marci 16.
Thema: Correctio proximi, maximi est meriti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)



IN FESTO ASCENSIONIS.
D. N. I. C.

CONCIO PRIMA.

Textus. Exprobravit incredulitatem eorum. Marci 16. cap.

Thema. Qui corrigit Proximum, multum sibi meretur.

Exordium.



Angelicus Doctor docet, Part. 2. Quæst. 113. *Bonum est unius anima, majus est, quam bonum naturæ universi.* Causam annectit S. Bernardus, *Complut. 3. Totus iste mundus, ad unius anima pretium dare non potest, non enim pro toto mundo Deus, animam dare voluit, quam pro animâ hominis dedit.* Atqui gratia acquiritur, procuratur, sedulâ correctione, & correptione, qui fraternè proximum corrigit, ad emendationem perducitur.

Textus Scripturae.

Audiamus Sacram Scripturam: *Qui corrigit hominem, gratiam postea inveniet:* inquit Salomon Prov. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum, inter te ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum,* Matth. 18. cap. *Qui converti fecerit peccatorem, ab errore viæ suæ, salvam animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum,* Jacobi cap. 5: Audiamus Patres: *Magna mercedis est,* inquit S. Gregorius hom. 26. *eripere carnem à morte, quamquam morituram, quam est meriti, à morte animam liberare, in cælesti Patriâ, sine fine vitam.* Conformiter scribit S. Chrysostomus, Tom. 6. Hom. 6. de correptione: *Magnum bonum est, inopiâ pressorum misereri, secundum*

Patres.

S. Gregorius
S. Chrysostomus.

iale tamen, quale est, ab errore alios avocare; nihil enim cum anima conferendum, ne mundus quidem universus: quamvis immensam pecunia vim, pauperibus elargiaris, nihil tamen tale prestabis, quale, si vel unam animam convertas. Et iterum Hom. 7. in Genes. Ut anima corpore melior est, ita iis, qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt ii, qui admonendo in viam rectam desides ducunt. Præclare scribit Simon à Cassia, lib. 9. cap. 44. *Corripiens in magnis lucris efficiatur: nulla majora lucra, quam animarum, pretiosior est illa negotiatio, quam auri & argenti, primi & purissimi.* Unde inquit S. Dionysius Areopagita, in Axiomate: *Omnium divinarum divinisima extat perfectio, Dei cooperatorem esse in salute animarum, ad suum Creatorem.* Et Albertus Magnus, in Lucæ cap. 17. scribit: *Nullum opus ita placet Deo, sicut fraterna reductio, qua ex charitate producitur.* Consolatè loquitur S. Bernardinus Tom. 4. serm. 22. *Si dares omnia pro Deo, non tantum lucrareris, quantum corrigendo proximum.* S. Hieronymus habet citatus à S. Thomâ, in Catenâ aureâ: *Per salutem alterius, nobis quoque acquiritur salus.* Concludit glossa interlinearis, in Epistolam S. Jacobi. *Qui errantem corrigit, per hoc ampliora gaudia vita cælestis sibi conquirat.* S. Spiritus gratiâ, desuper Conceptus pandam.

Simon à Cassia.

S. Dionysius Areopagita.

Albertus Magnus.

S. Bernardinus.

S. Hieronymus.

CONCEPTUS I.

Christus Magister noster, Joann. 17. cap. quasi ex Justitiâ, præmii & mercedem, à Patre suo aeterno petit & postulat: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam; clarifica me Pater, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Infinita sunt Christi merita, ob quæ à Patre suo claritatem cœlestis gloriæ expetit, sed in specie, quale illud est opus, quod Christus allegat: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Fors est crudelissima passio, & mors in cruce perpessa? ante hanc verba citata protulit Christus, ergo opus, propter quod claritatem cœlestem,

Confirmatio seu Deductio.

O o ut

ut præmium, ut mercedem expetit, opus ab ipsâ passione, & morte crucis distinctum est: Quod nunc illud? nominat Rupertus Abbas, correctionem fraternam, instructionem proximi ad bonam ad animæ salutem intelligens; hanc autem quàm zelosissimè consummavit Christus, ut videre est Joann. 3. cap. Nicodemus palam suam in Christum profiteri timuit; hinc semper noctu, Magistrum Christum accessit; Correctione desuper indigebat, quàm suavissimè Salvator impertitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest intrare in Regnum Dei; quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, Spiritus est: non moritur, quoniam dixi tibi, oportet vos nasci denuò, Spiritus ubi respicit. Corripit hisce timorem Nicodemi, majorem, animosiorum Spiritum reassumendum esse, instruit. Sic corripit, & instruit mentes Apostolos: Sic, non potuistis unâ horâ vigilare mecum, vigilate & orate, ut non intretis in tentationem; Spiritus promptus est, caro autem infirma, Matth. 26. cap. Quàm suavitè corripit Samaritanam illam, Joann. 4. *Quinque viros habuisti, nunc quem habes, non est tuus.* Correctio fraterna, instructio secreta, est ergo illud opus speciale, quod gloriâ cœlesti præcedendum filius Dei postulat: in documentum nobis, quàm Deo gratum & acceptum, meritorium opus faciat, qui fratrem errantem corripit, monet, hortatur, instruit; opus inquam adeò meritorium, ut claritate æternâ, gloriâ cœlesti, indubiè Deus illuminet, ut scriptum legimus Danielis cap. 12. *Qui ad iustitiam faciunt multos, fulgebunt sicut stelle, in perpetuas æternitates.**

CONCEPTUS II.

Apostolos suos, Christus in ultimâ cœnâ, in Sacerdotes consecravit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quotum nunc Sacerdotes Christus diligit, foveat, eis additus sit, demonstravit illo opere charitatis insigni, ubi sacerdotum pedes lavavit, ut legere est Joann. 13. cap. Ubi autem eventum est, ut Apostolos suos Christus, ut Correctores, Corruptores, Doctores, Instrutores errantium, malè operantium, in univèrsum mundum ablegaret.

Ite in uniuersum mundum, & predicato Evangelium omni creatura.
 Matth. 26. cap. Christus non unum, sed omnem charitatis actum, eis
 exhibet; non unam corporis partem, sed totum corpus, omnia
 membra charitate profundit, donis de cœlo ditat, & præmiat;
Repleti sunt omnes Spiritu S. Act. 2. cap. Correctores, correptores,
 Doctores, instructores donis Spiritus cumulat: ad innuendum, quam
 gratum, acceptum Deo opus sit, correctio, ac proximorum discre-
 ta instructio. Verissimè Bernardinus, ut supra: *Si dares omnia pro
 Deo, non tantum lucraris, quantum corrigendo proximum.*

CONCEPTUS III.

Triginta argenteis diuenditus est Christus Salvator noster. *Con-
 stituerunt ei triginta argenteos,* Matth. 26. cap. Cur rectè trigin-
 ta? volunt interpretes, per triginta argenteos denotari annos, qui-
 bus vixit, & conversatus est Christus in terrâ; si sic, quæ causa subest,
 quod solum triginta argenteos constituent, cum tamen Christus
 triginta tribus annis vixisse tradatur? Pro ultimis tribus annis vi-
 tæ Christi, nullum pretium constituunt, ultimos tres annos con-
 uersationis inæstimabiles, nullo pretio taxandos, tacitè fatentur.
 Quare? ultimis tribus annis correctorem, correptorem, Doctorem,
 instructorem egit Jesus; corrigere proximum, ad viam virtutis re-
 ducere, in bonis actibus & moribus, ad salutem benè instruere, tan-
 ti meriti actio est, nullo pretio temporali taxanda, meritoria omni-
 bus donis & gratiis diuinis. Audiamus S. Bernardinum Tom. 2. Serm.
 28. Art. 2. cap. 1. *Considerandus est fructus fraterna correctionis,
 qui triplex est; primus est lucrum anima unius; secundus infusio
 gratiæ; tertius adeptio gloria.* Consolatè scribit S. Chrysostomus,
 Tom. 6. Hom. de Correctione: *Quod neque jejunium, neque humi-
 dormitio, neque aliud quoddam opus bonum, præstare potest, hoc
 curata fratris salus efficere potest.*

CONCEPTUS IV.

Claudius in Paneg. Olibrii refert, Romanos plurimas & varias
 parâsse coronas, quibus heroës præmiabant: erat primò corona
 trium-

trumpalis, quæ dabatur Imperatoribus, de hostibus suis triumphantibus. Corona obsidionalis, quam offerebant iis, qui locum aliquem ab obsidione liberabant; Muralis, quam Reges concedebant iis, qui primi hostium ascendebant muros, & in eis signa sua collocabant; Castrensis, quæ donabatur ei, qui in prælio primus hostium irruerat castra; Navalis, quam illi dabant, qui primus hostium invadebat naves; Civica, quæ coronabatur ille, qui civem aliquem à mortis eripiebat periculis: Omnes enumeratæ coronæ ex auro, & argento pretiosæ erant, præter civicam, quæ simpliciter ex ligno constructa fuit. Ita Plinius lib. 16. cap. 5. *Cum res quas coronas auro commendarent, salutem civium in pretio non noluissent.* Sed cur coronam civicam non pari modo pretiosam ex auro & gemmis divitem construxerunt? indicare voluerunt Romani, omnia heroica facta, & gesta, ut triumphos obtentos, obsidionem solutam, mœnia conscensa, castra expugnata &c. digne auro, gemmis, & thesauris solvi, & compensari posse; sed par, & dignum præmium reperiri in mundo non posse, quo honoraretur, præmiarent eum, qui proximi salutem operam navaret, qui civem aliquem conservaret: In cœlesti, & opulento cœlorum arario, in ejusmodi homine, solum dignam posse reperiri coronam, & præmium, & præmium, sibi persuadebant. Qui proximum digne corrigit, civem cœli lucratur & conservat: *Qui converti fuerit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam ejus à morte.* Jacobi 5. cap. Præmium condignum pro eo non est in hoc mundo, immarcescibilis corona gloriæ, expectat eum in cœlis. Dicitur S. Chrysostomus Hom. 3. in Genes. *Si pro pecuniarum sumptibus, & largitione, tot coronæ, tantæ merces, tanta fiat retributio, quomodo non plurima bona, pro allato animâbus auxilio nobis reddentur?* Patet hoc ex Jeremiâ cap. 15.

CONCEPTUS V.

Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris, inquit Deus ad Jeremiam 15. cap. Separare pretiosum à vili, inquit S. Chrysostomus modò citatus, est per discretam correctionem, proximum

ab errore ad virtutem, quasi manuducere: qui sic utiliter corrigi-
git, *quasi os meum erit*, promittit Deus. Quid est hoc? Quasi os
meum eris? sunt Doctores, qui per os Dei, omnem cœli gratiam,
favorem, clementiam, omne bonum intelligunt: juxta verba Pſal-
44. *Eruclavit cor meum verbum bonum.* Tirinus Commentario
in Jeremiam, per os Dei intelligit Dei paternam undique assisten-
tiam, auxilium, adjutorium; quasi Deus promitteret, discretè proxi-
mum corrigenti, & errantem ad viam veritatis reducenti, omnem
cœli gratiam, favorem, & clementiam, paternam semper assisten-
tiam & auxilium. Nervosè concludit S. Chrysoſtomus, ut superiori
Conceptu finiit: *Qui ab errore ad veritatem, proximum velut
manuducit, aut à peccato ad virtutem, quantum homo valet, viam
illi monstrat, ille me (Deum inquam) imitatur.* Si Deum imitatur,
quantum gratiis cœlestibus ditabitur, remunerabitur; optimè S.
Bernardinus: *Si dares omnia pro Deo, non tantum lucraberis, quan-
tum corrigendo proximum.*

Hortor ergo omnes cum S. Paulo 2. ad Timoth. cap. 4. *Inſta oppor-* *Epilogus.*
tune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientiâ, & doctri-
nâ. Exinde promittit S. Petrus 1. Epist. cap. 5. *Et cum apparuerit Prin-*
ceps Paſtorum, accipietis immarceſcibilem gloria
coronam. Amen.

